


GLASGOW UNIVERSITY LIBRARY
VIA VERITAS VITA

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# DIABETE MELLITO.

# DISPUTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
## DE
# DIABETE MELLITO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT


RICARDUS H. DYETT,

*EX INSULA MONTSERRAT,*

CHIRURGUS;

SOCIET. REG. MED. ED. SOC. EXTRAORD.
SOCIET.QUE LITERAR. ED. SOD.
NECNON SOCIET. RER. NAT. ET CHYM. STUDIOS. EDIN.
SOC. EXTR. ET PRÆSES ANNUUS.


---

*Τα δια της κυστιος διαχωρεοντα ὁρᾳν δει, ει οια τοις ὑγιαινουσιν ὑποχωρεεται· τα ἡκιστα ουν ὁμοια τουτεοισι, ταυτα νοσωδεστερα. τα δ' ὁμοια τοισιν ὑγιαινουσιν, ἡκιστα νοσερα.* HIPPOC.

---

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.


EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1808.

VIRO PERHONORABILI,

MILCOLUMBO ROSS

ARMIGERO,

NON SOLUM

AMICIS

CARISSIMO,

SED

INTEGRITATE PUBLICA,

MORUM URBANITATE,

VIRTUTIBUSQUE PRIVATIS,

OMNIBUS

HONORE HABITO;

PROPTER

MULTA, ET MAGNA BENEFICIA

ACCEPTA,

HANC

DISSERTATIONEM INAUGURALEM,

ANIMI,

BENEFICIORUM HAUD IMMEMORIS,

TESTIMONIUM,

OBSERVANTIÂ SUMMÂ,

DEDICAT

RICARDUS H. DYETT.

PATRI SUO,

JOSUÆ DYETT,

HOC

OPUSCULUM

CONSECRAT

FILIUS.

" SACRUM Scientiæ flumen, quod nunc mirum et penè immensum contemplamur et veneramur, ex parvo et ignoto fonte derivatum, labitur atque labetur per omne œvum; primò exiguus rivus, incrementis quæ plurima quamvis lenta accipit, crescit paulatim in amplissimum amnem, confluentibus undique innumeris rivulis, quorum singuli cum tanta mole comparati, nihil ferè ad ejus magnitudinem conferre videntur; omnes verò, omnibus congestis aquis, flumen tandem efficiunt, quale jam spectamus, vastum, amœnum, felicia quæ præterfluit arva, irrigans atque fœcundans."

*Consp. Med. Theor.*

To Professor Thomson
from his obliged and
Grateful Pupil
The Author

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# DIABETE MELLITO.

RICARDO H. DYETT Auctore.

## PROŒMIUM.

" *Noluerim equidem credere, naturam tam arcto limite ingenium humanum compescuisse, ut ad has regiones quoque, viam sibi nunquam patefaciat.*" GREGORY.

MORBORUM diversorum omnium, quibus affliguntur genus humanum, medici attentionem, humanitatisque auxilium, ferè nullus magis postulat, quàm Diabetes Mellitus.

A Ex

Ex quo rationalis medicina probè fuit exculta, natura hujus morbi, etiamsi sæpissimè indagata, nondum prorsùs intellecta fuit; imò etiam nostris temporibus, non obstantibus ROLLOI aliorumque laboribus, ea scientia quæ nos dirigat ad modum medendi omninò felicem, a nobis longissimè abest. Hæc naturæ Diabetis Melliti inscientia, eò magis deploranda est, quòd adeò lethalis, et satis frequens est; ideòque res maximi momenti fit.

Sed tametsi nostra hujus morbi cognitio, quæ per ROLLOIUM atque sibi coætaneos traditur, haud sit perfecta; sed quum cogitemus, quantula fuit hujus rei notitia, priusquam opera suprà dicta in lucem edebantur, ob eam per ROLLOIUM collatam, ab agendis illi gratiis, abstinere non possumus.

Priusquam hujus viri celeberrimi observatio-

nes

nes hac de re, in medium prolatæ sunt, rationis huic morbo medendi, adeò ignari fuimus, ut WINTRINGAMUS*, eundem haud omninò curari posse, statuit. At verò nemo certè, quum casus MEREDITHI Præfecti in lucem editus fuerit, rem tam temerariam assereret; nam cùm ratio medendi, per ROLLOIUM commendata, observetur, plurima Diabetis veri exempla, quæ felicem exitum habuerunt, reperiemus; atque si hanc rationem, boni eventus sæpissimè sequerentur, eam, quamdiu felicissima sit, etiamsi auctoris ejus speculationes rejiceremus, observare haud dubiè debemus. Nil interest quàm falsæ ratiocinationes sint, si tamen ad felices conclusiones duxerint. Medici de causa proxima dissentiunt, sed nunc de morbo tractando, discrepantia haud magna sit. Et etiamsi de origine Diabetis,

* Vide DESSAULT, "Maladies des Voies Urinaires."

Diabetis, ROLLOI sententiæ parùm aptæ sint, tamen, eum, plùs in morbo indagando, omnibus qui antè floruêre, fecisse, confitendum est. Labores ejus saltem effecerint, ut viam iis longiùs investigantibus planam, consectationemque, antehac difficilem et molestam, magis promptam ad eos remunerandos, qui cum ardore ineunt, reddiderint.

In morborum natura investiganda, sæpissimè plurimis difficultatibus obviam nobis eundem est. Hæ diu scientiæ progressum impedire, atque cultorum ejus animos dejicere possint. Quàm idonea hæc observatio de Diabete Mellito, et quàm generatìm veritas ejus confitenda est, si cogitemus, modum medendi, tantùm nonnunquam felicem, ad seculum decimum octavum reservatum esse, facilè apparebit. Res quæ nostram hujus morbi cognitionem circumscribebant, quâdam ex parte sublatæ sunt; remedia

media plurima inutilia obsoluêre; et nunc in morbum, quondam vix curabilem, rebus simplicissimis, sæpè triumphare possumus.

---

## DEFINITIO.

DEFINITIONES hujus morbi, haud ita pridem, minimè concinnæ, et accuratæ erant. DESSAULT etiam, cujus observationes hac de re eximiæ sunt, in sua ejus definitione, erravit *. Doctor ROLLOIUS, primus Diabetem satis accuratè definivit †. Doctor CULLENUS, inter *Neuroses*, ordinemque *Spasmorum* eundem recensuit, quippè qui duxit, actionem vasorum renalium

---

* "Maladies des Voies Urinaires."

† "Two Cases of Diabetes Mellitus."

renalium hoc in morbo augeri, et haud raro vasa spasmo laborare; unde ab illo sic definitur *: "Urinæ plerumque præternaturalis, copia immodica, profusio chronica: (Diabetes Mellitus) cum urina, odoris, coloris, et saporis mellei."

HOMEUS hancce definitionem habet: "Urina aucta et subdulcis, sitis perpetua, cutis arida et plerumque squamosa †."

Definitio ROLLOI hujuscemodi est: "Desiderium cibi inexplebile, sitis perpetua, urina aucta et subdulcis, pulsus frequens, calor parùm auctus, cutis arida, cum marcore ‡."

Hæc

* "First Lines."

† "Clinical Experiments."

‡ "On Diabetes Mellitus."

Hæc definitio est longè accuratissima omnium earum quarum mentionem feci; nihilominùs auctor, conditionem hecticam, quæ Diabetis Melliti stadium ultimum perpetuò comitatur, neglexit.

Hic defectus a Doctore SHIRREFFIO reparatur; ideòque ejus definitio, sine dubio, omnibus aliis anteponenda est: "Urina mellita, plerumque aucta, cutis arida, interdum squamosa, sitis et desiderium cibi sæpè inexplebilia, cum marcore, febreque hectica *."

Hîc consentaneum videtur observare, de loco, quem in Nosologia Cullenica obtinet Diabetes Mellitus, CULLENUM † et LUBBOCKIUM ‡ dissentire.

* Thesis de Diabete Mellito.

† Synops. Nosolog. Method.

‡ "Medical and Physical Journal," vol. 5.

dissentire. LUBBOCKIUS eum magis ad classem *Cachexiarum*, ordinemque *Marcorum*, quam ad eam sub qua recensuit CULLENUS, pertinere existimat. Si sententiâ CULLENI de Diabetis ratione uteremur, vix loco ejus nosologico objicere possumus. Sed si ROLLOI speculationibus, posteà memorandis, crederemus, LUBBOCKIO mutanti ejus locum, assentiri debemus; atque sine dubio locus qui ab eo datur, certamini minimè est obnoxius. Sed omnibus opinionibus sepositis, animus me fert, in LUBBOCKII sententias discedere, quum morbus planè cachecticus sit, eumque macies planè comitetur.

## HISTORIA MORBI.

*Si morbi cujuslibet historiam diligenter perspectam haberem, par malo remedium, nunquam non scirem afferre.*

SYDENHAM.

NON ætas, non sexus, non temperamentum, exemptionem hujus morbi, sibi vindicat. Uterque sexûs, adolescentes atque senes, firmi et infirmi, divites atque pauperes, Diabeti Mellito opportuni sunt. Etiamsi quod ad ejus impetum, non aliquid sit discriminis, eos tamen, quibus sit temperamentum sanguineum et phlegmaticum, plerumque invadit; atque apud luxu et nimio cultu corporis confectos, ætateque provectos, sæpissimè grassatur. Nec diversitas cœli aliquid præsidii præbet; nam in zonâ torrida, paritèr atque temperatis, haud raró occurrit.

Impetus hujus morbi periculosissimi primò lenes et insidiosi sunt; nam morbus plurimos annos incognitus existere possit. Interdum tamen, huic morbo progressus celerrimus est, notæque satis manifestæ. Sed exortus ejus plerumque haud facilè discerni potest, nam principio, nulla aut minima adventûs ejus indicia præbentur. Ægrotus, primò, minimam molestiam sentit; nam tametsi copia urinæ redditæ ab initio morbi aucta sit, hæc res nihilosecius nullam suspicionem excitat. Copiam urinæ auctam, causis talibus quales metu carent, adscribit; et quum nullum aliud indicium morbidum sit, se Diabete Mellito laborare, penitùs ignarus est. Tempore tamen progrediente, sitis atque appetitus augentur, et, ut ait Rolloius, nunquam satiari possint. Corpus fit infirmum et macrum, et morbi signa planè manifesta redduntur. Major urinæ copia cum dulcedine, sitis appetitusque aucti, cum debilitate et corporis extenuatione, Diabetis

Melliti

Melliti primaria signa sunt. Ægrotus hac in conditione, in spatium vel majus vel minus remanere possit, donec alia symptomata quæ superveniunt, eum opem petere admonent. Ille, medico adveniente, Diabete Mellito benè designato, laborare reperitur. Corpus ejus somno parùm reficitur; manè inquietus debilisque e lecto surgit, haud aliter atque cùm se in lectum recipisset. Animus anxius et tristis, atque imaginatio facilè arrecta est. Oculi cavi et torpidi sunt, et vultus sub vesperem rubore suffunditur. Caput ejus aliquando maximè dolet, et haud raró urget vertigo. Cutis calida, sicca et squamosa est, et adeò insensilis, ut pili sine dolore extrahi possunt *. Pulsus arteriarum, ab initio raró frequentiores solito, micant. Manuum volæ, pedumque plantæ ardent, atque odorem

* Dessault, "Maladies des Voies Urinaires."

odorem subacidum emittunt. Fauces siccæ; lingua arida, in medio albida, apud margines rubra est. Gingivæ spongiosæ, rubræ et tumidæ; dentes sicut per acida hebetati, et in alveolis suis laxati sunt. Alvus primò adstricta est, deinde nimis fusa. Halitus fœtidus et subacidus; saliva viscida atque subdulcis est. Abdomen, pariter atque lumbi, pelvisque, dolore laborant *. Appetitus venereus penitùs deletur, et cùm æger urinam reddere tentet, nunc calor nunc frigus ex renibus versus vesicam sentitur †. Non solùm urinæ copia plurimùm augetur; sed etiam ejus indoles mutatur. Quum natura morbi dignoscitur, conditioque urinæ examini

---

* "When the patient abstains from food for any length of time, a sense of heat and uneasiness is felt in the stomach."—ARETÆUS.

† DESSAULT.

examini subjicitur, præter naturam pallida, gustuque subdulci invenitur. Fæcibus, porrò, odor atque color insolitus est; nam minùs fœtidæ pallidioresque solito, bilis inopiam indicant.

Quum hæc morbi conditio aliquandiu mansisset, hectica supervenit; corpus citiùs extenuatur, atque maxima cum debilitate afficitur. Arteriæ, sæpè centies et tricies micant singulis sexagesimis horæ partibus, deinde debiliores et abnormes. Hebet auditus, caligant oculi, atque corpus ut cadaver fœtet. Nisus ad urinam reddendam perpetui sunt, et dolentes, atque urina guttatim fluit, quod stricturæ et caloris sensus comitatur. Apud fœminas, pruritus in urethrâ sentitur. Hi nisus, tum nocte, tum interdiu, adeò frequentes sunt, ut otium misero ægroto penitùs eripiunt. Si urina horæ momentum fluere desinat, abdomen tumet, invicemque tu-

mor

mor subsidet, simul ac fluxus redderetur. Ascites aliquando inducitur, atque œdema sub vesperem supervenit; sed manè evanescit. Semen homine nescio ejicitur. Phymosis, excoriatioque glandularum vicinarum, inducuntur. Aphthæ in faucibus videntur, coxæque ulcerantur, quæ cum crurum œdemate, dyspepsiâ, sudoribusque acidis, morbum multò magis periculosum efficiunt. Nisi hâc in conditione subsidium sibi submittatur, appetitus ejus et sitis disparent, et quum ita ad ultima sit ventum, spem salutis in gremio fovet. Hæc mutatio mortis est augurium; motus convulsivi, deliriumque succedunt, atque finem brevi dolorum faciunt *.

Omnia hæc indicia unicuique haud sunt; hæc enim enumeratio, omni ex parte, vero consentanea,

* "Before death the urine has been found acid."—Rollo.

nea, cogitari non debet. Alia, alios, plura pauciorave, tentant. Sed initium, progressus, exitusque morbi, huic enumerationi plerumque consentiunt. Sed morbidâ siti, appetitu, macie, debilitate, atque urinæ dulcedine, solùm præsentibus, hic morbus ab omnibus aliis facilè dignoscitur. Porrò eveniat, ut symptomata ordine alio quàm suprà memoravi succedant. Sed ratio supradicta plerumque evenit. Plurimi auctores, haud parvi nominis, molem urinæ in Diabete emissam, potûs accepti exsuperare, perhibuerunt *. Sed adhuc valdè incertum est; nam alii, egesta quantitate, quàm ingesta, nunquam majora esse, asserunt †. Accedebat, difficile comprehensu est, quomodo hæc differentia fieri potest. Hi qui illam sententiam sibi asciscunt,

* ARETÆUS, MEAD, HOME, GREGORY, BARDSLEY, &c.

† ROLLO, LUBBOCK, &c.

cunt, phænomenorum rationem idoneam reddere nequeunt; ideoque dum speculationum acumen laudemus, iis minimè assentiri possumus. Alii rationem inæqualitatis egestorum, ingestorumque, reddere conati sunt, quia putant, egestorum auctum ex absorptione per cutem oriri, per quam urina redundans, sive nimia efficitur *. Putat RUTHERFORDIUS noster, inæqualitatem pendere ex aquâ apud pulmones genitâ, et in vesicam delata †. Ex experimentis tamen Doctoris CURRIE, SEGUINII, et Doctoris ROUSSEAU, nullam absorptionem per cutem esse, in aprico est, quod conjecturas de absorptione cuticulari inanes reddit; dumque eodem tempore haud facilè comprehendi potest, tantam aquæ molem

---

* GREGORII Prælect. Acad. anno 1806-7.

† RUTHERFORD. Vide ROLLO, MARCET, et ERSKINE de Diabete.

molem in pulmonibus fieri, ut ratio maximæ inæqualitatis humorum assumptorum et ejectorum, ab aliquibus observatæ, reddi possit *. Sed si nimiæ egestorum abundantiæ nullam fidem habeamus, nullis opinionibus inniti cogimur. Non mihi est consilium asserere, auctores, qui tam bonis lateribus suaserunt, evacuationem urinæ in ventriculum res acceptas excedere, exempla suis speculationibus faventia, nunquam apud curationes vidisse; sed validè credere inducor, ægrotum sæpè fefellisse medicum ipsum, plusque potûs, quàm cognosci vellet, assumpsisse. Tamen plerisque in exemplis nullam, sive minimam ingestorum, egestorumque inæqualitatem existere, fatendum est. Si tamen posthac probatum erit, hæc illa exsuperare, nihilominùs inæqualitatem parvam esse,

C ad

* ERSKINE, Thesis de Diabete.

ad ingeniosas speculationes et pulcherrimas Doctoris RUTHERFORDII, ad phænomena explicanda, confugiam.

## CONDITIO URINÆ.

ANTIQUI naturæ Diabetis valdè ignari erant, et tametsi ARETÆUS, qui meliùs historiam morbi, omnibus qui floruerunt, vel in superiore, vel in suo seculo, cognovit, sinè dubio multas res ad eundem pertinentes noverit, nihilominùs conditio urinæ saccharina illum latebat *.

Doctor WILLISIUS primus hanc proprietatem notabilem indicavit, et initium omnium earum

* Περι οξεων και χρονιων Παθων.

earum investigationum fecit, quæ huic rei tantam lucem afferunt *. Et quum nostra Diabetis scientia, haud dubie ex provectâ cognitione statûs urinæ, multùm pendet, alias investigationes factum iri, sperandum est.

Ex investigationibus per medicos jampridem factis, hancce notitiam adepti sumus. Urina hoc in morbo subviridis est, vel colorem flavum habet †. Densior quàm in bona valetudine solebat, atque odore violaceo et subacido est; dein seposita et quiescens, sedimentum lateritium deponit. Alii auctores, ut Doctores CULLENUS et LISTERUS, exempla Diabetis in quibus urina omninò saporis fuit expers, cognoverunt. Sed hæc res infrequens est; nam plerumquè urina

saccharina

* WILLISII Opera.

† CULLEN, "First Lines."

saccharina est, atque hinc, cognomen *Mellitus* hic morbus obtinuit.

Quod ad res chemicas; ex narrationibus per CRUICKSHANKIUM, eo, quod, proclivis est quæ subiret fermentationem acetosam et vinosam, multum sacchari habet, plus naturæ extractivæ, et minimum ureæ, ab urinâ sanâ differre apparet. Quantitas rei saccharinæ in urinâ *Meredithi* Præfecti, uncia in librâ erat. Saccharum obtentum colorem fuscum habet, atque theriacæ simillima est *.

Aliæ, urinæ diabeticæ aliis, partes plus saccharini extracti producunt. Fluxus urinæ multùm ex animo pendere apparet, nam quò tristior atque mœstior sit animus, eò plùs redditur. Apud

* ROLLO "on Diabetes."

Apud alios, alia est moles urinæ indiès rejectæ. In aliis vel sex, vel septem libræ tantùm in die redduntur, sed in aliis, sive triginta, sive quadraginta *, vel etiam libræ sexaginta †, redditæ fuerunt.

Si cibus ex frugibus in ventriculum sumatur, urina eandem indolem habebit, atque quantitas ejus augebitur. Sed si contrà cibus ex carnibus et adipe acciperetur, dulcedo quantitasque urinæ imminuentur.

---

* Erskine de Diabete.

† Homei Prælect. Clinic. ann. 1807-8.

CONDITIO

---

## CONDITIO SANGUINIS.

DOCTOR DOBSONIUS, primus, sanguinem, tali qualitate saccharinâ quali urina, gaudere, demonstravit. Sanguis ex *Petro Dickensonio* detractus, dulcis extitit *. In exemplo *Meredithi* Præfecti, ut a ROLLOIO describitur, sanguis quoque saccharum habuit, quamvis haud adeò manifestum erat, ut in *Dickensonio* †. Doctor HOMEUS qui sanguini diabetico res proprias indagavit, nullum saccharum in eo inveniret ‡.

Sed

---

* "Medical Observations and Inquiries," vol. 5.

† "Two Cases of Diabetes Mellitus."

‡ "Clinical Experiments."

Sed hæc res, DOBSONII et ROLLOII opiniones, minimè redarguit. Hi tamen duo viri, sanguinem proprietates saccharinas præbentem repererunt; nihilominùs, Doctorem HOMEUM infeliciorem esse, haud multùm mirandum est. In plerisque quidem exemplis verisimile est, quamvis sanguini saccharum reverà inesset, ejus molem tamen adeò exiguam esse, ut ejus existentia vera, haud clarè probare possit. Verò probabile est, ut exempla reperta sint, imò jamjam cognita fuerunt, in quibus sanguis saccharinâ materie adeò scatebat, ut saccharum, investigationibus minimis, manifestum reddatur. Saccharum, quamvis haud patefactum, in sanguine existere posse, experimenta ROLLOI planè demonstrant. Varias sacchari purificati quantitates, in variis proportionibus seri sani dissolvit, atque serum, quamvis ita commixtum, nullam dulcedinem præbebat *.

Opinionem

* "On Diabetes Mellitus."

Opinionem Rolloi quoque experimenta sanciunt Pearsonii, qui ægrotorum uni suorum, magnam carbonatis potassæ quantitatem cum acido carbonico conjuncti, adhibuit; at verò, haud aliquid naturæ alcalinæ, in sanguine paulò pòst detracto, quamvis urinæ impregnatio gravis erat, inveniri posset *.

Ex rebus igitur suprà dictis, sanguini diabetico saccharinas proprietates, etiamsi non semper repertas, reverà inesse, statuendum est.

Ad hanc opinionem confirmandam, plurimæ res afferuntur. Sed etiamsi observatio Dobsonii sit solitaria, nihilominùs, saccharum in sanguine existere, nobis sine dubio affirmare, atque Doctori Marcet assentiri, liceret. " Conclusionem,

* " Pearson's Letter to Dr Rollo."

sionem, uno positivo experimento, probè confirmatam, uno, pluribusve negativis experimentis, omninò subverti non posse *."

## DIAGNOSIS.

In hoc morbo dignoscendo, nulla est difficultas. Haud aliud vitium est adeò huic simile, ut errare posset medicus.

Ex Diabete Insipido, per urinam, marcoremque, facilè discernitur.

Bulimiæ, tantùm quod ad appetitum morbidum; Polydipsiæ, sitim morbidam tantùm, respondet.

D CADA-

* Marcet, de Diabete.

---

## CADAVERUM SECTIO.

Corpora incisa, vix aliqua ex parte, causam proximam Diabetis, elucidare, deplorandum est.

In morbo tanti momenti, qui plurimos annos corpus adoritur, sensimque constitutionem subruit, hunc affectum aliquam lucem accepturum, ex cadaveribus incisis eorum qui ei succubuissent, benè sperandum esset.

Sed hæc spes plerumque est inanis. Dissectiones tali consilio institutæ, illam tantùm in obscuro tenebant; imò, causa proxima Diabetis, tam desiderata, et necessaria, adhuc nos latet, aterrimâ ferè caligine submersa.

Speculationes

Speculationes ingeniosas facere possumus; rationem morbi ex signis observandis, consilioque medendi, reddere conemur; nihilominùs verisimile est, tametsi explicare haud fieri potest, res ex quibus hujus rei scientia obtineri possit, nostras indagationes haud magnoperè elucidare. Sententiæ omni ex parte diversæ, ex cadaveribus incisis, confirmationes aliquas simulatas, obtinuerunt.

Physiologus qui alicui sententiæ innititur, ferè semper quæcunque res eandem firmare possint, eas invenit; omnibus aliis haud faventibus sepositis, sine mora, partem quam incidit scalpello, sedem esse morbi, statuit. Eodem tempore, ne ullam aliam partem describeret, cavet, præter eam, cujus morbida conditio, suis opinionibus favet. Alii contrà, ex sententiis hujus physiologi penitùs discrepant; diversam coporis partem morbo laborantem reperiunt; undè pari

alacritate

alacritate ac sagacitate, rationem signorum inde hauriendam esse, concludunt.

Hæ variæ opiniones, et sermones de parte læsâ, sede scilicet morbi, scientiæ hujus rei, grandi impedimento fuerunt. Sectio cadaverum non lucem sparsit; imò tenebras auxit; neque inficiandum est, quin parum utilitatis, quoùsque incidantur corpora tantùm ad firmandas theorias, ex tali examine oriri possit. Non nisi ab anatomes peritis medicis, qui laborem incipiunt, nullo præjudicio affecti, nullisque opinionibus faventes, utilitatem accipere sperare possumus. His igitur quasi accuratis indagationibus, opinionibusque veris, solùm fidendum est.

Dissectiones quæ antehac factæ fuerunt ad dubia resolvenda, exhibitiones insperatas, incertasque

tasque tantùm præbuerunt. Has igitur memorare, nunc in animo est.

In secandis corporibus Diabete confectis, organa urinam secernentia et excernentia, imprimis examini subjicienda sunt. In aliis, renes duriores, amplioresque quàm homini sano, contingunt; sed in aliis flaccent, et molem parùm imminuuntur. In aliis quoque, alter ren morbidus, et læsus, alter autem sanus fuit. Quibusdam in exemplis, vasa renalia plurimùm ampliata sunt, atque renes ipsi quasi injecti, videbantur. MONROIUS tertius, qui incidit corpus *Isabellæ Symington*, ejusdem renes rotundiores, latiores, crassioresque quàm sano homini, contingunt, memorat. Idem vir celeberrimus, renem dextrum, ampliorem sinistro esse, nos certiores facit. Odor renum, subacidus quoque esse, dicitur.

In

In aliis, vesica tantùm aliquantum mutari ex conditione ejus sana; aut in aliis contrahi, crassiorque texturâ, et interdum, tamen haud sæpissimè, fistulâ laborare, reperitur.

Glandulæ mesentericæ et mesocolicæ ampliatæ, pallidiores, crassioresque, (vasis eorum sanguine refertis), solito, observatæ fuerunt.

Quum Doctori MEADIO placuit, jecur hujus affectûs esse sedem, id deinde cogitationem anatomês studiosi, sibi vindicare possit; at verò, etiamsi nonnunquam hoc viscus corrumpitur, sæpè tamen, nihil morbidi medico observare, contingit *.

Alia viscera quæ chyli generationi ministrant, plerumque sana sunt; sed plures glandulæ

* BAILLIE'S "Morbid Anatomy."

dulæ conglobatæ, quàm corpore sano, apparent.

Porrò, pulmones, ut luculenter perhibet Doctor RUTHERFORDIUS, necessariò malè se habent, et haud parùm ad hoc vitium gignendum, conferunt; qui adeò examen sibi vindicant. In aliis, pulmones nullam speciem morbidam præbebant, sed in cadavere supradicto, quod secuit MONROIUS tertius, pulmones pleuræ adhærebant, tuberculis scatebant, eorumque vasa resorbentia solito ampliora erant. Saccus etiam exiguus, aquâ plenus, dextro pulmoni infuit.

Ventriculus et intestina tenuia, interdum crassiora, capaciora, et sanguineis vasis referta, observantur: "The innermost membrane," ait MONROIUS, "of the great left arch of the stomach, was of a reddish colour; and also a small part of the same membrane near the pylorus; and

and upon it there were numerous spots of extravasated blood. The villous coat near the pylorus, was much corrugated, and thrown into folds." *(Case of Isabella Symington *).*

Tunicæ arteriarum majorum, non autem venarum, vividè erubescunt.

Absorbentia plerumque ampliata sunt. Porrò, superficiem corporis, speciem morbi, præbere, memoratu dignum est. Cutis plerumque solito tenuior, et adeps, tum internè, tum externè, absorbetur.

Hâc, rei propositæ, parte jam breviter absolutâ, tantùm accedit, eos, quibus consilium est hanc gravem materiem fusiùs tractatam cognoscere,

---

* Shirreff, Thesis de Diabete, in Appendice.

cere, in animo versantes scripta jam memorata MONROII *, et ea, quæ protulerunt BAILLIUS † et ROLLOIUS ‡, operæ pretium habituros.

Res, quas suprà memoravi, plerumque observantur; atque planè manifestum est, ubi tantum morbi existat, sedem affectûs, difficillimum fore invenire. Hinc timendum est, multum temporis lapsum iri, priusquam natura Diabetis penitùs intelligetur, aut exponetur. Hoc solatium nihilominùs nobis est, pathologiam indiès clariorem evenientem, tandem, omnes difficultates, quibus premitur hæc gravissima res, soluturam.



* SHIRREFF, Thesis de Diabete.

† "Morbid Anatomy."

‡ "Two Cases of Diabetes Mellitus."

"Tantam verò (ait scriptor facundus) scientiæ humanæ magnitudinem quicunque ritè contemplatus fuerit, is certè et ad magna natam esse mentem humanam agnoscet; et plura et majora adhuc ab ea expectanda esse fatebitur; et simul tali notitiâ imbutus, neque propria scientia, quam exiguam esse sentiet, nimis elatus erit, neque aut veterum aut magnorum auctorum opinionibus ultra modum addictus, neque novarum rerum nimis cupidus, neque novis opinionibus nimis credulus; scilicet qui benè noverit, longè aliâ ratione, quàm aut veterum auctoritate aut novorum scriptorum opinionibus et conjecturis, promovendam esse scientiam *."

* Conspect. Medicin. Theoret.

CAUSÆ

## CAUSÆ REMOTÆ.

Plurimi auctores, alii, alias causas Diabetis recensuerunt. Aliæ, plùs quàm aliæ, nihilosecius omnes, rebus externis iis faventibus, morbum excitare possunt. Harum causarum, aliæ olim, aliæ apud nuperos, tantùm habitæ sunt. Judice Doctore Meadio, exercitatio corporis neglecta, liquores vinosi, nimiumque potûs frigidioris, hominem huic morbo opportunum, reddunt *.

Dessault quoque, harum causarum, mentionem facit, atque debiles, infirmosque generis nervosi,

* Mead "on Poisons."

nervosi, ei præcipuè obnoxios esse, addit. Inter alias Diabetis causas, vitæ genus ignavum, otiosium, cœlum frigidum et humidum; victum pravum, ex frugibus confectum, præcipuè culinarium; sanguinis profluvia, sive sponte, sive arte; ulcera ampliora; denique morbos, quibus est opus diætâ tenuissimâ, enumerat. "Elle peut encore," ait ille, "etre le produit d'une metastase, et arriver à la suite d'une hydropisie de poitrine, ou de bas-ventre *."

Causis suprà citatis, adjungere possumus, nimium medicamentorum urinam moventium, diluentium, fructuumque acidorum usum; alvum strictam, evacuationes immodicas, frigus corpori anteà calefacto subitò adhibitum, condimentorum calidorum, stimulantiumque usum; ebrietatem,

* Dessault, "Maladies des Voies Urinaires."

etatem, cerevisiam nimiam et tenuem; fatigationem corporis, vel cum vel sine mentis labore; mutationes cœli subitas, Veneremque immodicam.

Plurimis in exemplis quoque, videtur, proclivitas ad hunc morbum hæreditaria, existere, atque hæc quoque, inter prædisponentes, ducenda est. Quod ad causas occasionales; omnes res quæ corpus debilitant, ad Diabetem excitandum, multùm tendunt.

Eorum plurimùm interest, quorum parentes hoc morbo laboraverint, animos ad hanc rem incumbere; et quantum fieri potest, eas causas, utcunque lenes, vitare, quæ unà cum hæreditate, morbum excitent, qui, causis per se adhibitis, nunquam apparuerit.

## PROGNOSIS.

PRIUSQUAM Doctoris ROLLOI, de Diabete Mellito, observationes, in lucem editæ erant, prognosis semper fuit infausta. Originis, et rationis hunc morbum tractandi nescii, medici, eum infelicem finem habiturum semper augurabant.

CULLENO sanabilem esse, visum est; sed omnes, hoc morbo laborantes, quos conspexerat, ei succubuerunt *.

At

* "First Lines."

At verò ROLLOIUS statuit, morbum nunc, tandem adeò benè, variis ex periculis et suo usu, intelligi, ut non, eum sanabilem ponere, hæreat *. Nihilominùs confitendum est, alios, summæ laudis, creberrimoque usu, medicos, in hoc morbo tractando, haud felicem eventum expertos esse. Doctor GREGORIUS, idem ipsi ferè semper contigisse, memorat †.

Ex rebus suprà dictis tamen memorare licet, quum morbus nunc feliciter, nunc infeliciter, novæ tractandi rationi cesserit, nostram prognosin, sive faustam, sive infaustam, secundum res cujusque ægroti, dirigendam esse. Si medicus ab initio accerseretur, neque ullum alium morbum reperiret, felix augurium statuere licet. Sed

---

* "On Diabetes Mellitus."

† Prælect. Acad. ann. 1806-7.

Sed si morbus jamdiu mansisset, si ægrotus intractabilis fuerit; vel si morbus ullus alius Diabeti accesserit, finis lethalis augurari potest.

Si ægrotus sit juvenis; vel si priusquam Diabetes eum invaserat, robustus fuisset, atque bonâ valetudine, et modico vitæ genere usus est, spem eum recuperandi, morbo etiam aliquandiu manente, fovere possumus.

Sed si sit, quare suspicemur proclivitatem hæreditariam, curatio vix equidem speranda est.

Si adesset phthisis pulmonalis, prognosis semper infausta erit.

## CAUSA PROXIMA.

*Στομαχος ἡδονης και ανιης ἡγεμων· καρδιης καιριον γειτονημα ες τονον και θυμον ἡ αθυμιην, της ψυχης συμπαθειη· ἡδε στομαχε πρωτιστα δυναμις.*

ARETÆUS.

CùM morbi investigationem incipiamus, cujus curatio, aut malè intelligitur, aut plerumque infausta cedit, priusquam modum tractandi idoneum cognoscere possumus, causa proxima invenienda est.

Morbus, cujus curatio, sicut Diabetis, medicorum indagationes plurima secula torserit, et fefellerit, studiosis rei medicæ cultoribus, materiem aciei ingenii exercendæ, præberet; lau-

demque, et honores feliciter excolentibus, aperiret. Famæ honestæ cupidi, et ærumnis genus humanum eripiendi studiosi, medici omni in ævo, animos ad Diabetem tractandum incubuerunt. Medicinas aliquando dolores levare, nihilosecius curam rarò efficere, benè noverunt; quod ad tenebras hanc rem obscurantes, retulerunt. Hunc morbum, nisi intellectum, non esse vincendum, rectè judicabant; quare theorias struxerunt, et causam proximam statuere conati sunt, ut idoneâ basi ratio medendi polleret.

His rebus inductus, ARETÆUS perhibuit, commune esse huic morbo cum hydrope, utrumque ejusdem esse naturæ, et hunc, illi, sede tantùm, distare. Renes et vesicam urinariam, sedem esse hujus morbi, perhibuit, consilioque medendi tali sententiæ consentaneo, usus est *.

Hæc

* Περι διαβητε θεραπειας.

Hæc opinio, diutissimè apud rei medicæ scholas, invaluit; imò, tempestate hodierna, plures medici haud parvæ famæ, eidem parùm mutatæ, omnes ferè alias posthabuere. At verò, prima origo, vel causa continens hunc morbum, ARETÆI aciem, penitùs effugisse, videtur. Suas opiniones non omninò amplificavit, iis contentus, si modò indiciorum præcipuorum rationem, exponere potuissent.

DESSAULTIUS Diabetem in duplex genus divídit. Alterum, ut ait, ex læsis iis viribus per quas cibi accepti in varias partes corporis vertuntur; alterum ex renum compage soluta, originem suam ducit *. Illud genus refertur ab eodem auctore ad tenuitatem humorum qui suâ propriâ naturâ demissâ in renes facilè transeunt, unde

* DESSAULT, "Maladies des Voies Urinaires."

unde ei placet, vires jam memoratas læsas, esse causam Diabetis proximam, neque opus esse confugiendo ad morbidas renum actiones.

Rebus de renibus per DESSAULTIUM memoratis facilè assentior, suas speculationes autem omnia ad hoc vitium pertinentia explicare non posse, manifestum esse. Exempli enim gratiâ, tenuitasne humorum, rationem dulcedinis urinæ, maciei, appetitûsque morbidi, reddere potest?

Alterum Diabetis genus potiùs effectum quàm causam esse morbi judicat; nihilominùs solutam indolem renum, anteà inductam, inter causas morbi, ducendam esse putat.

Si illi hac in re assentiamur, speciem esse hujus morbi, Diabetes insipidus dictam, tantùm, concedendum est; renum enim relaxatio morbida,

bida, Diabetis Melliti rationem, meliùs quàm humorum tenuitas, haud explicare potest.

Richteri opinio, aliqua ex parte, jam recensitæ, convenit; malum, scilicet, ad stimulum renes afficiendum, referendum esse; unde, " secretio urinæ aucta, et interdum etiam perversa," oritur *.

Sed hæc opinio minimè satis valet. Quid genus stimuli morbum excitat, nos non certiores fecit; neque facilè conceptu est, quomodo ullus stimulorum irritando, aut spasmo renes afficiendo, urinam, naturâ saccharinâ, imbuere posset.

Alia speculatio, ex iis quas suprà memoravi penitùs aliena, a Meadio viro celeberrimo, prolata

* Rollo " on Diabetes."

lata fuit. Modo audaci et inusitato asserit, jecur, non renes, Diabetis esse sedem et originem, quam rem, sibi videtur, demonstrâsse *.

Quivis, sermone MEADII perlecto, hunc medicum, causam ejus proximam clarè percepisse, haberet ; et proprias sententias adeò firmâsse, ut aliquæ novæ rationes supervacaneæ essent, veteresque penitùs everterentur.

Sed hæc opinio splendida, indagata, spem rei medicæ studiosi omni ex parte, fefellit, basi enim gaudet, tantùm paucis inter corpora incidenda observatis, iisque minimi momenti ; imò, nonnullis, neque usui medicorum consentaneis, neque demonstrandis ; parum igitur ingenii, ad hanc ineptam notionem refellendam, suppetit. Eo judice, " Diabetem constituit bilis corrupta et

* " Essay on Poisons." Vide etiam ACTUARIUM.

et a sana aliena; scilicet, talis ejus indoles, ut non simul miscentur natura oleasa, et salina; unde bile tenui et latice plena, ad hanc mistuam servandam, parùm valet. Quo fit, ut ei placet, multum aquæ, et olei tenuissima portio, renes petent, et vasa urinæ, tanto flümine irruente, ampliabuntur. Dein crassiores olei particulæ, quasi coactæ, et pigræ, tubis jecoris exilissimis inhærebunt, ibi duræ, adiposæque futuræ." Porrò contendit, "sectiones huic theoriæ arridere, hujusmodi scilicet, massas, apud jejur cum ictero hominis confecti, inventas."

Si semper res ita se haberet, jure sibi fidem assumeret sententia Meadiana; fide autem ei concessâ, quod ad res observatas, non ideo ejus theoriam amplectimur, cujus equidem summa est laus, quod eam capere nequit nostrum ingenium. Omni igitur ex parte tabulis rei medicæ eripienda est ejus doctrina, organa, enim, bi-

lem

lem secernentia, persæpè omni vitio carent, quod vetat ne aliqua fides ei conciliaretur. "Les expériences cliniques de HOME," ait DESSAULTIUS, "la pratique de CULLEN, ont prouvé, que presque constamment la foie étoit dans son état naturel, et que si parfois des collections steatomateuses s' y étoient manifestées, leur éxistence, n'étoit, sous aucun rapport, liée à celle de Diabètes*."

Alias dissectiones, rebus quas observarunt HOMIUS et CULLENUS, consentire, mihi addere licet †.

CULLENUS, proximam Diabetis causam, esse, tale vitium earum virium quæ cibi concoctioni ministrant,

---

* DESSAULT, "Maladies des Voies Urinaires."

† BAILLIE'S "Morbid Anatomy." HEBERDEN'S "Commentaries," edit. 1803.

ministrant, ut non salutariter in partes omnes, tum humores, tum solidas, mutetur, duxit *.

Hæc opinio, Culleno ipsi imperfecta visa fuit; neque satis valet ea Dobsonii, qui indagationes Cullenicas, altiùs agitare conatus est. Causam proximam statuit, esse, abnormem ventriculi actionem, unde res saccharina progenita per sanguinem fertur, secernenda, excernenda, in urinam deferenda †.

In hac opinione, quæ multum ingenii demonstrat, Doctorem Dobsonium existimâsse, rem saccharinam ex ipso sanguine eâ imbuto, secerni, lugendum est. Ejus theoria dives aciei mentis,



* "First Lines."

† "Medical Observations and Inquiries," vol. 5.

tis, non tali præsidio eget; rebus enim quas hoc modo vult exponere, vindicatione tantulâ non opus est. Hoc equidem, ejus speculationes minimè juvat, aliàs insignes, claras, et memoriâ dignas.

In his rejiciendis, mihi observare liceret, ut si saccharum per circuitum secerneretur, signa morbi in genere sanguineo expectari possent; at usus nihil tale nos edocuit. Nisi enim, quod testante MONROIO tertio, tunicæ arteriarum magnarum internæ valdè erubescunt, nihil morbidi est, unde crederemus, genus sanguineum, munere tanti momenti, fungi.

Doctori DARVINIO placuit, rem saccharinam inter concoquendos cibos factam, non in sanguinem transire, sed in vesicam deferri, recto ferè

itinere,

itinere, per absorbentia urinaria, quorum motus retrogradi sunt *.

Huic opinioni ingeniosæ, a quo abhorret anatome, vehentissimè obviam itur, talem inversam contractionem vasorum resorbentium, quam ille vir insignis memoravit, nondum fuisse detectam; porrò, valvulas ferè innumeras, quibus scatent absorbentia, talem motum necessariò vetare.

Novissimam speculationem de causa Diabetis proxima quàm memorabo, protulit ille ROLLOIUS de *Woolwich*.

Hic auctor ingeniosus habet causam proximam, esse, actionem ventriculi abnormem, et auctam,

---

* Zoonomia, vol. ii. p. 316.

auctam, pravam scilicet secretionem succi gastrici, unde evolvitur natura saccharina; porrò, auctam actionem vasorum resorbentium lacteorum, hæc omnia comitari.

" The stomach urged beyond its active tone,
" Hardly to nutrimental chyle subdues
" The softest food; unfinished, and depraved,
" The chyle in all its future wand'rings, owns
" The turbid fountain, not by purer streams
" So to be cleansed, but foulness will remain."

ARMSTRONG.

Substantia saccharina sic evoluta, per sanguinem delata, renes petit, secernenda, cum urina commiscenda, in vesicam transitura *.

Talia de hac theoria celeberrima præcipuè memoratu sunt digna; theoria, fautores pariter atque inimicos summæ laudis, pollente.

Quum

* ROLLO " on Diabetes Mellitus."

Quum mihi persuasum est, hanc, longè omnibus aliis ratione et ingenio præstare, quæ scriptis mandatæ sunt, ad arcana hujus morbi evolvenda, eandem cæteris anteponere nil morer.

Sed longum sermonem hac de speculatione habere ; eam defendere, vel rebus in eam objectis respondere, limites dissertationis hujuscemodi superaret ; neque operæ pretium fuerit. Auctor ipse doctrinam luculentissimè et solertissimè defendit, quarè nihil per me dictum argumenta ejus firmare, vel stabilire posset ; ideoque, quàm paucissimis potero verbis, mihi hac de re disserendum est.

Actioni ventriculi abnormi et auctæ ; appetitum ciborum voracem, intervallis minimis post cibos redeuntem ; summam ventriculi acorem, quem docet gustus in ore, indolesque prava sali-

væ,

væ, cum Rolloio tribuere possumus. Per consensum nervorum, renes participes sunt hujus abnormis actionis, unde, et per nimiam vasorum lacteorum actionem, ratio exponitur urinæ auctæ, doloris capitis, sitis, cutis aridæ, maciei, urinæ dulcedinis.

Ad hanc opinionem sustinendam, res sequentes cum Rolloio proferre nobis liceat: " That a stomach affection generally precedes the urinary characteristic symptoms of the disease.

" That a stomach affection always attends the disease, which materially differs from that, sympathetic of primary kidney affection.

" That a diet of animal food, with entire abstinence from vegetable, or other matters capable of forming sugar in the stomach, removes speedily the general symptoms, the saccharine matter,

matter, the quantity of the urine, and its unnatural state.

"That dissection has shewn no morbid condition of the kidneys, but what may be referable to a continuance of increased action from the application of a simple stimulus, and probably sympathy, augmenting merely the capacity of their vessels."

Jam absolutâ de ROLLOII opinionibus oratione, mihi observare licet; me, omnibus eam aliis hucúsque in lucem editis, anteposuisse, quia longè optimam putavi, et donec melior sive verisimilior fieri potest, eam est in animo summis viribus sustinere.

Physiologia faustè ancillatur medicinæ; at verò, adhuc imperfecta, et manca, idoneam et claram lucem concoctioni non attulerit; exindè patet,

patet, plurimis difficultatibus adhuc occurrendum esse nobis, antequam explicentur omnia ad hanc rem pertinentia.

Cùm quomodo concoquitur cibus homine sano, magna ex parte adhuc nos lateat, necessariò ignari sumus conditionum morbidarum hujus functionis gravis; et nos, etiam nostris temporibus, speculatione quamvis objectionibus obnoxia, phænomena plurima quæ hactenus vix comprehendi possunt, explicante, contentos esse decet.

MODUS

---

## MODUS MEDENDI.

*Magnum enim, et supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, vel recuperare suam, et uniuscujusque bonam valetudinem.*

CELSUS.

DIABETIS curatio, æquè ac causa ejus proxima, etiam paucos intra annos, nos ferè penitùs latuit; et nullus fortassè morborum, tantam medendi diversitatem præbet, quàm Diabetes.

Ex quo hic morbus primò innotuit usque ad nostram memoriam, medici plurimis remediis usi sunt; plurima proposuêre, vicissim aliis cessura. In omni materiæ medicæ parte, quædam medicamenta nunc magno, nunc minimo æstimata sunt. Ex his, quædam signis levatis,

et fortassè progressu eorum brevi represso, profuerunt; sed nullum medicaminum, periculis sæpissimè factis, omninò respondit.

Usus medicorum, aliqua medicamenta commendans, haud proferri potuisset, etiamsi alia, sine dubio, aliis, præstant, levantia signa molestia; neque medicina, priusquam observationes Rolloii in lucem editæ erant, ratione medendi rectâ et certâ gaudebat. Sed remedia alia, aliis temporibus commendata, memorabo, ut, quantùm *ratio Rolloiana* exsuperat cæteras, ostenderem.

Primò, medici utebantur diureticis, quasi vitium renum malum induxerit. Hæc remedia, in hydrope utilia, etiam in diabete efficacia, declarantur. Observatione tamen dignum videtur, Aretæum, in capite de Diabete curando, (quod alii putant, aliena manus scripsit, et inter

veras

veras hujus medici clari literas recensuit), inter astringentia, vina generosa commendare, sed nobis vinorum dulcium usum prohibere. Loquitur hujuscemodi: "Οινοι στυφοντες ες τον τε στομαχε τονον, ακρητεστεροι μαλλον ες την των αλλων χυμων εξηρεωσιν, τε και διανηψιν· αλμωδεσι γαρ διψος· οινος δε στυφων θαμα και ψυχων μεταβολη τε και ευκρασιη· ες δυναμιν δε κ' ην οινος γλυκυς οκοιος αἷμα εη ες την αυτε γηναν." Θεραπεια Διαβητε.

Hæc verba nos credere faciunt, auctorem quicunque esset, morbum ex nimio in cibo saccharo pendere, putare, tametsi saccharinas urinæ qualitates, haud agnoscere videtur.

Ex variis astringentibus administratis, alumen, kino, catechu, acidum sulphuricum, et calcis aquam, mihi memorare licet. Omnia hæc aliquantùm profuerunt, et medicamenta aluminata,

nata, et per MEADIUM *, et per DARVINIUM †, summoperè laudantur.

Doctor WILLISIUS contrà, vi curante astringentium negatâ, remedia alcalina et hypnotica commendat ‡.

Tonica ab aliis utilia, ab aliis inutilia, existimantur. Ex hac classe cinchona, parataque ex ferro, plerumque administrata sunt ||.

Vomitio utilis reperitur, quarè emetica adhibenda. Ex iis, ipecacuanha, et medicamenta antimonialia, optima ducuntur.

Stimulantia,

---

* MEADII Opera.

† Zoonomia.

‡ WILLISII Opera.

|| HEBERDEN, ROLLO, &c.

Stimulantia, qualia sunt Cantharides, contraria, saltemve supervacua, censentur.

Acido nitrico quibusdam in exemplis utendum est nobis, morboque progrediente, pro potu communi.

Quæ spasmum solvunt, et diaphoresin cient, modo Rolloii observato, præsertim valent. Ex illis, gummi-resina ferulæ assæfœtidæ, et camphora; ex his, pulvis ipecacuanhæ compositus, administratu sunt digna.

Neque cathartica levis momenti sunt inter curandum. Darvinius * radicem rhei palmati laude prosequitur, aliique medici periculum jalapæ, submuriatis hydrargyri, saliumque mediorum,

* Zoonomia.

diorum, qui catharsin movent, cum utilitate fecerunt *.

Thermis sæpissimè utendum est. Hæc res semper reficit, et superficiem corporis humectans, ægro benefacit. TISSOT unctionem corporis laudavit; quam si alii commendarent experiri liceat, quamvis parum commodi, me judice, ejus usum sequetur.

De vena secanda, non nisi unum testimonium nobis est, sed eâ factâ, curatio vix expectanda est. In quibusdam tamen corporis conditionibus, eam admonere licet †.

Variis

* GREGORII Prælect. Acad. ann. 1807.

† BURSERIUS, vol. iv. p. 493.

Variis remediis Diabetis memoratis, modum ad optimos exitus sæpissimè ducentem nunc in animo est cogitare. Hic modus primùm per ROLLOIUM commendatus erat, atque famæ magnæ et diuturnæ inventori ejus est.

Hanc laudem meretur HOMEUS, eum, scilicet de utilitate cibi animalis cogitâsse; apud quosdam per eum tractatos, conchylia, ostreæ qualia, plurimùm ægrotis consuluerunt. Sed rationem non altiùs prosequutus est*. ROLLOIO itaque, de cibo animali rationem perfectam, et satis valentem, sine dubio debemus.

Doctor ROLLOIUS, Diabetem Mellitum, nimio talium ciborum usu, quales qualitatibus saccharinis præditi sint, cieri observavit. Et quum ipse quoque credidisset, nimium rei sac-

charinæ

* "Clinical Experiments."

charinæ in cibo, ventriculum non solùm debilitare, sed etiam corrumpere, curationem ex his rebus duabus traxit solers.

Primò, res aut parvum, aut nullum sacchari præbentes, et organa assimilantia confirmantes, administrandas necesse erat.

Secundò, remediis et cibis idoneis, quæ morbidam ventriculi conditionem amoverit, opus est. Omnibus morbidis signis remotis, ratio quam laudavit observanda est, ut morbus radicitùs amoveatur. Hoc enim neglecto, ægrotisque cibo ex frugibus confecto, præmaturè utentibus, haud rarò redit malum, viribus renovatis *.

Diabetes,

---

* "Remarks on Two Cases of Diabetes Mellitus."

Diabetes, interdum ex aliis causis quàm quas memoravi, sine dubio oritur; quod tamen nullam objectionem huic medendi consilio offert. Quamvis enim ratio auctæ naturæ saccharinæ causa morbi primaria haud esset, nihilominùs quum debilitas, et ventriculi depravatio, ad eandem gignendam plurimùm conferunt, modus medendi proculdubiò aptus erat.

Quandam sacchari portionem ad corpus nutriendum, et sanitatem tuendam, multùm valere, optimè innotuit; sacchari autem mole abnormi, et auctâ, organa quæ debent concoctioni et nutrimento inservire, gravantur, sui muneris impotentes fiunt, neque salutariter mutant totum sacchari; torpet, debilis fit ventriculus, marcescit homo, Diabete laborat.

Fruges multo sacchari, saltem ejus principiis, abundare, neminem latet; ideoque ut tollatur,

aut imminuatur hæc materia, ægroto utendum est carnibus, cibis, scilicet, sacchari expertibus. Talis diæta, sacchari egena, cui parum ejus elementorum inest, corpus roborat, firmat tonum et vires ventriculi labefacti, corrupti contrario victu, reficit, nutrit, et munit, ideoque non prodesse non potest.

Cibo animali utentes, plenè an parcâ manu primò sumendus sit, cogitare debemus. Si ægrotus sit juvenis, et aliàs sanus, et malum ab initio detegeretur, ad hanc curationem sine mora refugiendum est. At verò si gravis annis fuerit, si vitam luxu, otioque egisset, et si morbus diu perstiterit, paulatim et parcâ manu, hæc curatio adhibenda est.

Ante cibi animalis usum, Doctor SHIRREFFIUS, alvi lenem solutionem, et vomitionem commendat, ut acor, et corruptæ naturæ ex

ventriculo,

ventriculo, et tubo alimentario, ejiciantur. Quo facto, quanta sit energia virium quæ concoquunt, et nutriunt, cibo vegetabili parcè et gradatim usurpato, æstimare possumus; et quò plus, vel minus saccharinæ rei urinæ insit, eò debiliores vel fortiores vires jam dictas, esse statuimus; et prout res ita se habeat, plus, minusve spei curationis, et felicis exitûs, erit. Urina enim multo sacchari imbuta infaustum, paulo, faustum, augurium præbet *.

Ægrotum domi manere, atque ex rebus vegetabilibus abstinere, decet; porrò, quantitas cibi animalis paulatim minueretur, necnon medicamenta alcalina, ad actionem cibi animalis adjuvandam, administranda sunt; qualia sunt, aqua supercarbonatis potassæ et sodæ.

Hâc

* Thesis de Diabete.

Hâc ratione jam diu observatâ, sitis morbida, appetitusque, plerumque minuuntur, et levantur. Urina examini subjecta, minus sacchari habet, parcior est, corpusque multò plus ponderis acquirit.

Curationem, his rebus observatis, benè responsuram, sperandum est. Hîc mihi observare licet, emetico, sive purgante remedio, inter curandum, pro re nata, utendum esse; etiam tepidario subindè.

Si dolor, aut signa inflammationem indicantia sint, vena incidenda est. Si saccharum in urina imminueretur, sed nihilosecius si sitis, appetitus, et urina, præter naturam augeantur, Doctor ROLLOIUS docet, hydrosulphureto ammoniæ utendum esse, quod periculis factis nauseam ciet, et ventriculi functiones statim turbat, et impedit. Eodem têmpore haustus opiatus, et

parata

parata ex stibiò, pro re nata, horæ decubitûs assumenda, dum ventriculus suas vires, et statum idoneum, recuperâsset.

Exitum adeò optatum, indicabit urina sacchari expers, sitis vel exigua, vel nulla, copia urinæ naturalis. Sub hoc tempus, frigidarium, ad restituendam vim nervosam, utilissimum erit.

Cùm ægrotus in hac fausta conditione aliquandiu mansisset, morbo, scilicet, penitùs sublato, tunc temporis se exercere, paneque et frugibus aliis uti, licet. Quod si inter tale victus genus malum rediret, se ad cibum animalem recipere quamprimum debet. Hoc equidem minimè sæpè accidit. Consilio ROLLOII accuratè observato, valetudo sana restituitur; etiamsi aliis placet, hominem jam ad morbos acutos, inflammationes, scilicet, esse proclivem *.

Nunc

* CLEGHORN. Vide ROLLOIUM.

Nunc ferè absoluta re propositâ, hanc rationem medendi, uni objectioni neque levis momenti, obnoxiam esse confiteor.

Victûs genus idoneum, ingratum et severum est. Juvenes et vulgus Diabete laborantes, vix adeò terret, ut recusarent victum quem præcipit medicus. At verò ingratissimus erit, iis qui per totum vitæ decursum, cultum, otium, luxum, diætam lautiorem, affectaverint, jam nati annos quinquaginta vel sexaginta. Talibus formidolosa erit soliti solatii inopia, quo etiamsi non opus sit vitæ flammæ alendæ; tamen carere nequeunt, assueti. Sanitatem, imo ipsam vitam, tanto supplicio plures menses perstante, paratas, tales viri haud tanto existimant, quanti luxum, voluptatem amissas. At verò, etiamsi cum Rolloio hanc rationem animis ægrotorum tantulùm esse consentaneam, lugeamus; ni fallor,

lor, voluptate vitæ generis luxuriosi, et molestia hujus curationis, in eadem trutina positis, hujus pondus et virtutes, illius, longè exsuperabunt.



